

Ernst Johann Friedrich Mantzel

**Programma, Qvo Rector Academiae Rostochiensis, Ern. Joh. Frid. Mantzel ... Ad Exeqvias Viri-Juvenis Prænobilis Qvondam Atqve Politissimi, Domini Hugonis Theodori Qvistorpii, Jurium Studiosi solertissimi atque humanissimi, Anno MDCCXXXII. die XXIV. Martii per morbum diu patienter toleratum extincti ... Ad Instantiam Matris Dilectissimæ, Matronæ Inter Nostrates Maxime Venerandæ ... Cives Academicos humanissime invitat**

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1732]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1797046373>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Protokolle Protokoll-Programme,  
meist Festsätze in dazujen bürgerl. Familien btes.

(Zinsv. u. d. in nobilitierten Familien:


Nettelblatt, Preen, Quistorp, Schoepffer, Schuckmann  
u. Or. )

82 Stücke

Mk1b Gen - 40  
2/3 II

9/1  
Hain.  
1833.





1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30

Leichenprogramme, alphabetisch geordnet  
nach d. Namen d. gefeierten Person, nebst Sterbejahr.


L - Z

1. Quistorp, Anna Christina, geb. Lenthe. 1753
- 2/3. Luger, Johann Georg. 1748.
4. — — — (Vater). 1751.
5. Mantzel, Kaspar. 1735.
6. — , Maria Justine Margarete. 1742.
7. Schweder, Margarethe, geb. Meyer. 1728.
8. Neusling, Catharina Margareta verh. Pries. 1733.
9. Michelsen, Andreas. 1730.
10. Becker, Catharina Elisabeth, geb. Michelsen. 1744.
11. Michelsen, Christoph Andreas. 1746.
- 12/13. Jaddel, Elsabe Dorothea, geb. Michelsen. 1745.
14. Müller, Karl Ludwig. 1761.
15. Nettelblatt, Heinrich [Vater] 1735.
- 16/17. — — — [Sohn] 1761.
18. Neucranz, Anna Margareta. 1726
19. Niehenck, Joh. Balthasar. 1738.
20. Niemann, Johann. 1746.
21. — , Michael. 1729.
22. Oerthling, Joachim Felix. 1745
23. Meyer, Anna Maria, geb. Pauli. 1738.
- 24/25. Engelsen, Maria, geb. Pansen. 1738.
26. Petersen, Johann Christian. 1766.
27. Prehn, Wilhelm. 1751.
- 28/29. Pries, Joachim Heinrich. 1763.
30. Quistorp, Hugo Theodor. 1732.
- 31/32. — , Johann Jakob. 1767.
33. — , Lorenz Gottfried. 1743.
34. — , Johannes Christian. 1722.

35. Ressor, Julius Friedrich. 1740
36. Redeker, Heinrich Rudolf. 1716.
37. Richter, David. 1753.
38. Danckwarth, Catharina Emerentia geb. Schaeffer. 1737.
- 39/40. Schaper, Johann Ernst. 1721
41. Scheffel, Heinrich Gustav. 1738.
- 42/43. Schmidt, Jonas. 1745.
- 44/45. Schoepffer, Johann Joachim. 1719.
46. Schuckmann, Heinrich. 1706.
47. Dörcks, Margaretha, geb. Schuckmann. 1731.
48. Schmidt, Isabe Margaretha, geb. Schwabe. 1743.
49. Zeidler, Anna Emerentia, geb. Schwartz. 1729.
50. Senst, Agneta Sophie, 1729.
51. — Hermann Peter. 1728.
- 52/53. Sibeth, Karl. 1734.
54. Sivers, Jakob. 1729.
55. Luger, Christine Elisabeth, geb. Spalding. 1746.
56. Spalding, Johann David. 1757.
57. — Thomas. 1743.
58. Burgmann, Anna Christina, geb. Stein. 1773.
59. Stein, Walthier. 1739.
60. Stever, Johann Kaspar. 1729.
61. — , Johann Valentin. 1755.
62. — , Theodor Mattheus. 1735.
63. Stieber, Georg Friedrich. 1755.
64. Wetken, Catharina Margareta, geb. Stindt. 1743.
65. Stolte, Christian Rudolf. 1680-1731.
66. — — — 1711-1736.  
Heinrich Christian. 1715-1736.
67. — , Peter. 1733.
68. Töppel Margareta Catharina; verh. Oldenburg. 1774.

69. Verpoorten, Theodor. 1728.  
70. Weiß, Margaretha Agnes, geb. von Heidenkopf. 1726.  
71. Weidner, Johann Joachim. 1732.  
72. Weiß, Gottfried. 1697.  
73. Wetken, Johann Georg. 1716.  
74. Wilde, Joachim. 1737.  
75. Weidner, Johann Joachim. 1732.  
76. Barnstorff, Anna Margaretha, geb. Willebrand. 1724.  
77. Willebrand, Martin Albert. 1746.  
78. Stein, Anna Dorothea, geb. Wolff. 1744.  
79. Wolfraath, Dietrich Samuel. 1753.  
80. Wulf, Catharina Margareta, verh. Stein. 1734.  
81. Zaidler, Johannes. 1727.  
82. Zinck, Johannes. 1732.





PROGRAMMA,

QVO

RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,  
ERN. JOH. FRID. MANTZEL,

Phil. & Jur. Doct., atque Instit. Prof. Ord. hod. Facult.  
Jurid. Decanus,

AD EXEQVIAS

VIRI-JUVENIS PRÆNOBILIS QVONDAM  
ATQVE POLITISSIMI,

DOMINI

HUGONIS THEODORI  
QVISTORPII,

Jurium Studiosi solertissimi atque humanissimi,

*Anno MDCCXXXII, die XXIV. Martii  
per morbum diu patienter toleratum  
extincti,*

devoteque obdormiscentis,

*Jamque die IV. Aprilis solenniter humandi,*

Ad Instantiam

MATRIS DILECTISSIMÆ,  
MATRONÆ INTER NOSTRATES  
MAXIME VENERANDÆ,

ut &

Honoratissimorum Agnatorum, Cognatorum  
atque Affinium,

O. O. PROCERES atque CIVES ACADEMICOS  
humanissime invitat.

---

ROSTOCHII,

Typis IO, IACOB, ADLERI, SEREN, PRINC, & ACAD.  
Typographi,



## QVISTORPIORUM nomen in hac

Academia & Urbe adeo est celeberrimum atque in Orbe literario famigeratum, ut tenuis hospes sit habendus qui tantorum virorum quos secutura indigitabit genealogia merita non haberet cognita sibi atque notissima. Fuerunt, ut taceam alios, qui in Politicorum & Medicorum ordine sunt & erant incluti, tres non interrupto ordine Theologiæ Professores consummatissimi, & speramus fore, ut novi ulterius emergant QVISTORPII. Ex illorum stemmate descendit hicce cui hodie tristia paramus atque funebria, *Prænobilis quondam atque Clarissimus Dominus HUGO THEODORUS QVISTORPIUS*, quem tota Civitas habet pro Studioso defuncto; Ego autem probabo hunc nostrum Quistorpium mortuum esse, non ut Studiosum sed ut *Professorem*, & quidem ut *Theologiæ Professorem*. Liceat mihi meam thesin stilo, ut licet, liberiori corroborare. Professor itaque est qui alios instruit & a quo alii ea discunt, quæ in studiis suis habebunt imposterum utiliter atque proficue

proficue applicanda. Certe noster Quistorpius ex aliquo tempore usque ad ultimum vitæ halitum professus est talia, quæ pro cathedra non felicius & magis ad vivum possunt unquam exponi. Proposuit quasi theses sequentes omnibus audientibus explanandas atque serio meditandas:

Thesis I. Homines sumus, & nil nisi humanum de nobis sperari potest.

Th. II. Ita vivendum ac si quotidie esset moriendum.

Th. III. Ruit enim Hora. id quod erat symbolum magni illius Homonymi HUGONIS GROTII.

Th. IV. Ea igitur Christianos viventes discere oportet, quibus moribundi utantur.

Th. V. Quo magis ergo per gradus descendimus in tumulum, eo ardentiores simus in nostra pietate & patientia.

Th. VI. Moriamur denique ut Johannes Evangelista; ceu est in proverbio scholæ Jctorum.

Has theses de arte bene vivendi, mortem expectandi, & indies magis se ad eandem præparandi docuit hicce Studiosus Professor. Diu jam circumferebatur, hunc adeo alacrem atque vegetum Quistorpius morbo lento & extenuante esse infectum: Sciscitantibus ulteriorem statum ubique respondebatur, spem restitutionis indies magis decrescere: Quærentibus quomodo sese gereret quoad animum? Reponebatur, eundem insigni & mirabili patientia ferre suam infirmitatem. Indagantibus num mori averfaretur? replicatum fuit, quod vix imitabili exemplo se præpararet ad abitum. Scire cupidis quomodo circa ultima sese gesserit? probatum datur, quod mortuus sit ut Johannes Evangelista; Id quod ulterius docebit morbi mortisque historia. En igitur Professore, qui omnes edocuit ea quibus in vita & morte uti poterunt. Quia autem Professores ut tales non nisi Viros-Juvenes solent habere auditores; Ergo præsertim & hic Professor Quistorpius tales Lectiones ad hominem instituit ad florentem juventutem, præsertim etiam Studiosam, ut, qui stipites non fuerunt, ex ipsius doctrinis & exemplo hauserint talia quibus ubique uti queunt. Erat Vir-Juvenis singulariter modestus atque cordatus, & multa exstant documenta, innumerique sunt testes, qui eundem non aliter quam den ehrlichen und wehrten Quistorp appellitarunt; Silent de illo Protocolla Academica, & nescirem, eundem unquam propter indecoram vitæ rationem ad rationes reddendas fuisse postulatum; Studiis, & futuræ vitæ invigilabat strenue & quia in foro politico magis se profecturum putabat, relicto studio theologico illis artibus quæ eundem in posterum possent ornare, sedulus incumbabat. Diligebat Matrem, Patrem enim in teneriori tantum ætate venerari licuit, adeo ut exemplar fuerit filiorum morigerorum, id quod testantur tot lacrymæ hujus inconsolabilis Matronæ. Hæc

active gessit instructurus alios, ut idem agerent. Incidens autem in morbum quem fatalem semper prælagivit, tantam testaram fecit patientiam, tantamque significavit promptitudinem moriendi, ut Dominus Confessionarius mox laudandus multo cum encomio hoc de prædicaverit. Maxime autem in eo commate instruxit Juvenes, quod non tutos sese medio in flore ætatis putare debeant a mortis ictibus. Triste est spectaculum, quod nonnunquam observatur, tristes sunt voces quæ passim exaudiuntur, significantes Juvenes suæ salutis esse plane immemores, & præsertim æterna & futura parum attendere. Dixit sapiens *Aristippus*: *Ea juvenes discere oportet, quibus Viri facti utantur*: Mutatis mutandis autem suam thesin BEATUS NOSTER hanc habuit: *Ea viventes discere oportet, quibus moribundi utantur*. Sed proh dolor! exhorresco quoties video contrarium. Sunt quasi quatuor Juvenum classes; Maxima est illorum qui nec proficiunt in literis nec in moribus, quorsum & pietatem & mores Christianos referri volo. Ex parte deplorandum ex parte ridiculum est, quod nonnunquam observatur, quod illi juvenes, qui, quoniam non est penuria bonorum virorum, solliciti esse deberent, ut se præ aliis antecellendo distinguerent, ut se facerent commendabilis, vesana vivendi ratione tempus in otio consumant, aliisque graves sint. Hinc tot homines in omni arte inutiles, qui vel plane nulla occupant munia, sed supernumerarii manent; Vel in occupatis Causam DEI, Reipublicæ & privatorum ita expediunt, ut fidem defensores ingeniosus puer vincere, politica tractantes quivis naturalizans distrahere possit. Præsertim autem in officiis erga DEUM adeo turpes habent mores, ut de illis merito dici queat, *Sie sind ohne Gott in der Welt*. Sequitur alia classis illorum, qui quidem proficiunt in moribus, sed deficiunt in literis, illi vitam floridam consumpserunt in conversationibus & exercitiis theatris, peregrinationes instituunt, exoticas linguas parlant; Sed parerga illa in exilium pepulerunt ergon. Hinc boni illi sunt amici, & cives privati, sed non boni cives publici. Tertia series est eorum qui proficiunt in literis & deficiunt in moribus; Hi juxta illud vulgatum plus deficiunt quam proficiunt; Multa enim cum *gravitate*, sit voci venia, causas suas expediunt, & sale carent, prudentiam negligunt & sunt similes divitibus morosis, qui equidem dant danda, sed dant ea cum impetu. Ridere soleo quoties tales observo viros qui equidem callent sua artificia, sed sunt adeo molesti, ut ad summam necessitatem tantum adhibeantur. Quartus denique est illorum pauciorum catalogus, qui proficiunt & in literis & in moribus, & hos commendat vita, eorumque & mors est decora. O felices illos præsertim si etiam in pietate erga DEUM sunt commendabiles; Stultus enim est qui reverentiam erga Verbum DEI & Sacramenta non gerit in pectore, vultu, habitu, vocibus & verbis. Quoties inter Dominos Studiosos elegantem literis, moribus & pietate observo, toties illum aliorum in mente appello Professore, suo enim exemplo alios partim instruit ad imitandum, partim non imitantes punit, presso enim sequitur pede poena naturalis illos, qui idem non agunt, nam infamiam facti incurrunt, quia existimatio illorum apud graves & honestos viros non manet salva.

Ad hanc

Ad hanc ultimam classem numero meum QVISTORPIUM, cuius & mors & vita fuit decora; Elucescet idem ex vitæ curriculo jamjam fufius exhibendo enarrandoque.

Natus itaque est Beatus DN. HUGO THEODORUS QVISTORPIUS heic Rostochii Anno MDCCII, die 27 Mensis Aprilis, PATRE Viro quondam Summe Reverendo, Excellentissimo atque Amplissimo, DN. JOHANNES NICOLAO QVISTORPIO, S. S. Theol. Doctore & Professore Publ. Ord. Celebratissimo, Superintendente Rostochienfi gravissimo, & ad D. Nicolai Pastore religiosissimo; quem Virum singulariter venerabilem omnes boni appellant desideratissimum; MATRE vero Prænobilissima atque sui sexus virtutibus condecoratissima Matrona, ANNA CHRISTINA LENTHEN, quæ jacturam hujus filii, post tot alia fata, acerbe deplorat, cuique solatium pium desuper apprecamur. Paternos Majores posteriores indicant annales Academici; AVUS enim fuit B. JOHANNES QVISTORPIUS, in Theologica Facultate Professor consummatissimus & in Ecclesia Rostochienfi Pastor Jacobæus vigilantissimus, qui Conjugem habuit exoptatam B. SOPHIAM SCHARFFENBERGIAM; Proavum demonstrant Tabulæ B. JOHANNES QVISTORPIUM, itidem Theologum commendatissimum, & Antistitem Marianum facundissimum, qui Uxorem amavit B. BARBARAM DOMANNIAM ex familia illustri progenitam.

Maternum Stemma non minus celebre est, AVUM enim venerabatur ceu incluti Hugoniani nominis autorem, Virum quondam Prænobilissimum, B. DN. HUGONEM LENTHEN, S. R. Majestatis Danicæ Confiliarium & supremum per Holsatiam Regium Secretarium; Cujus in thoro confors erat Splendidissima ex familia nata B. ANNA KOHLBLADTEN; PROAVUS erat Vir quondam insignis B. DN. GERARDUS LENTHE, Jctus famigeratissimus & Præfectus in Episcopatu Osnabrugensi spectatissimus, qui costam habuit deamatissimam ex illustri domo de BIBRAN. En stemmata celeberrima ex quibus provenit noster haud degener furculus QVISTORPIUS; Quo autem non degeneraret, a primis unguiculis ita fuit initiatus in sacris & educatus in bonis literis atque artibus ut nihil potuerit desiderari, prouti & testantur argumenta a posteriori quod tam egregius Vir - Juvenis non sine tali providentia talis evaserit. Crescentibus annis creverunt etiam modi instruendi hunc omnibus dotibus naturalibus instructum Juvenem; Utebantur igitur Parentes optimi Studiosis clarioribus & postea Magistris celeberrimis, inter quos præsertim laudare solebat DN. HAVERUM, Guessthalum, jam Amstelodami purioris doctrinæ interpetem facundissimum, & DN. DRAGHEIMIUM, Dantiscanum, philosophum acutissimum. Cujus sub Præsidio Anno MDCCXXIV. ingeniosam defendit dissertationem de *Alea Romanorum*. Hi vero ultimi ejusdem erant Præceptores, postquam Anno MDCCXX. *Rectore Viro Excell.* DN. JOACHIMO HENRICO SIBRANDO, tunc Instit. Prof. celeberrimo, jam vero

B

S.R

S. R. Tribunalis Wismariensis Assessore splendidissimo, die 5. Aprilis inscriptus Civium Academicorum ordini. Animus erat ex voto suorum studium theologicum tractare, nec deerant dotes publicis speciminibus comprobatae; Sic enim Anno MDCCXXIII. Moderatore Viro Summe Rev. atque Excell. DN. HERMANN. CHRISTOPH. ENGELCKEN, Theologo nostro Celebratissimo, & ad D. Joh. Pastore optimè merito, Fautore atque Collega nostro æstumatissimo, Præsideque laudato DN. HAVERO defendit diff. de *Gentilium salute non speranda*. Verum videbatur tamen magis trahi ad studia politica, quæ etiam in hac Academia Patria & in Kiloniensi, ut & Helmstadiensi feliciter continuavit atque auxit, commendatus in Holsatorum Parnasso præsertim Illustri Dn. HARPPRECHT de HARPPRECHTSTEIN. Redux ad nos aptumque se sistens, ut applicaretur expediendis in Republica, expectare per aliquod tempus voluit, donec enasceretur felix occasio, vixit itaque inter nos ut miles cingendus ad aciem, ad quam se paraverat sollicitè, & nemo erit, cui vel factis vel verbis unquam fuerit gravis & incommodus; Commendavit potius sese insigni humanitate, ceu vera & fere primaria, desiderata tamen ut plurimum virtute. Aspiravit ad ea quæ DEUS ipsi decreverat; Sed en Decretum divinum! Incidebat in morbum lentum atque exsiccantem, quem sequentibus enarrat juxta artis regulas Vir Prænobiliss. atque Experientiss. Dn. PETRUS CHRISTOPH. BURGMANNUS, Medicinæ Doctor & apud nos Practicus celeberrimus, felicissimus, Fautor atque Amicus noster humanissimus. Ita autem fluunt ipsius verba:

*Mensis erat Augustus anni præterlapsi cum Beat. Defunct: primas de Pathematibus Hypochondriacis duceret querelas. Erant hæc eo magis ipsi insolita, quo magis hæctenus uti ab omnibus morborum insultribus ita & hisce fuerat immunis. Subitam proinde eorundem abolitionem a me efflagitabat, quam & eo lubentius, quantum fieri posset, Ipsi promittebam, quod spe recuperandæ sanitatis satis morigerum Ipsum inueniebam. Nec carebant conatus mei successu felici, quippe elapsis quatuordecim diebus, adhibito remediorum usu legitimo, pathemata ista ita cedebant, ut in publicum prodire B. D. denuo liceret. Interea tamen pallidus color & totius habitus mutatio plenarie valedicere recusabant, unde post decursum aliquot septimanarum Hypochondriaca Pathemata denuo & quidem majori vehementia B. D. excruciant. Omnem quidem movebam lapidem, ut & hunc insultum denuo reprimerem, funditusque tollerem, ast, quamvis interdum restitutionis spes haud levis affulgeret, in totum tamen non tam cito, quam optabam, extirpari poterat. Toleranda etiam fuissent hæc incommoda, cum præsertim B. D. non continuo lecto affigerent, nisi interea Tussis Pectoralis, sicca initio, ex improviso omnibus modo memoratis se junxisset. Hæc enim tanta ferocia B. D. invadebat, ut statim in principio de mala ejusdem indole non vana esset suspicio. Remittebat sensim quidem continuato remediorum usu hypochondriaca Passio, tussis autem nullis mediis cedere volebat, sed majora potius faciebat incrementa. Non levis proinde oriebatur suspicio de imminente phthisi, præsertim cum & corporis extenuatio, & capillorum defluivium*

defluvium cum doloribus pectoris punctoriis dextri lateris supervenirent. Ast nec talem Pulmonum corruptelam frequentioris tussis existere causam, sed longe aliam eamque maxime raram subesse dies 30. Nov. declarabat. Tussis enim vehementia insolita versus noctem dicti diei Ipsum invadebat, ita ut non solum vires magnopere prosterneret, sed, quod praecipuum, & ex parte affecta pectoris frustum substantiae carnosae, phaseoli magnitudine avelleret, atque foras protruderet, sanguinis floridi excretionem subsequente ac per aliquot dies continuante. Cum itaque hocce minus praevisum malum non solum ingentem incuteret terrorem, sed & majus periculum minari videretur, mox in Consilium adhibebatur Illustris Dominus de SCHAPER, quo & suis Consiliis saluberrimis aegrotantem sublevaret, atque si fieri posset, ad pristinam sanitatem reduceret. Sedulam etiam & Ille navabat operam, ut metuendis majoribus malis via praeccluderetur; ast impediri nulla ratione poterat quin & sudores nocturni frequenter accederent, & elapso quinque circiter septimanarum spatio denuo frustum aliquod carnis ac die 8 Febr. a. c. ejusdem generis mediante tussi ejiceretur, multo pariter sanguine subsequente, quorum prius longitudinem pollicis unius & ultra atque crassitiam pollicis dimidii prae se ferebat, posteriore primo magnitudine fere aequale erat. Omnium substantia praecipue maximi fibrarum carnosarum compagem interspersa pinguedine evidenter ostendebat, caeterum nulla corruptione infecta. Spes equidem aliqualis supererat fore ut rejectis frustis carnosissimis pristina sanitas recuperaretur, praesertim cum post expectorationem eorundem tussis semper mitior fieret, nullaque pulmonum corruptela hactenus notanda esset, ast eventus spem nostram fallebat. Ex quo enim ultimum eliminatum erat frustum, omnia in pejus ruebant, major enim superueniebat virium defectus, copiosi sudores nocturni evadebant frequentiores, corporis extenuatio majora capiebat incrementa, Sanguinis excretio per intervalla augebatur, nec tussis a vehementia sua remittebat, & quod maximum, omnibus hisce calamitatibus difficilis respiratio, hactenus non observata, per vices sese associabat, non deficiente materia corrupta atque putrida quae per expectorationem eliminabatur. Misera omnium harum circumstantiarum conditio, sicut omnem restitutionis spem intercipiebat, ita aegrotum de die in diem in deteriorem statum dejiciebat, unde aliter fieri non poterat, quin fractis viribus naturae debitum persolveret, mihi que Amici a teneris Coniunctissimi memoriam relinqueret.

Obdormivit itaque desideratissimus NOSTER QVISTORPIUS cujus pietatem atque patientiam sub introitum jam laudavi placide atque pie die XXIV. Mensis praeterlapsi, & quidem post praeparationem ad mortem devotissimam, Testatur illud Dominus Confessionarius, Vir Maximè Reverendus, Amplissimus atque Doctissimus Dn. JOH. HENR. LEHMANNUS, ad D. Nicolai Pastor religiosissimus, & Beati Qvistorpii Parentis in Munere Successor dignissimus, Fautor atque Amicus noster singulariter honoratissimus; Reliquit post se tristissimæ Matris, Amicorumque in utroque nexu & familiæ & animorum, planctus atque lacrymas, quas nemo praeter virtutem & DEUM abstergere potest. Quem eo nomine humillime imploramus, velit scilicet pientissimæ MATRI,




TRI, honoratissimis Dnis FRATRIBUS; SORORIQVE unicæ Se-  
gebergæ in Holsatia nuptæ Viro Max. Rev. atque Amplissimo, Dn.  
Mag. SCHWOLLMANNO, Pastori vigilantissimo, Fautori & Ami-  
co nostro dilectissimo, Coeterisque Agnatis atque Cognatis Omnis  
generis levamina doloris assignare. Erit autem etiam levamentum  
haud infimum Comitatus funebris solennior, hinc invitantur  
O. O. CIVES ACADEMICI, suis dignitatibus atque honoribus con-  
spicui, velint QVISTORPIANO NOMINI eam tribuere humanita-  
tem, ut frequentes adsint. Significatur ipsis promptitudo eorun-  
dem ad quævis grata officia.

Conventus erit in Æde Mariana

d. IV. Aprilis Anno MDCCXXXII.

P. P. SUB SIGILLO RECTORALI.







*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*



LBMV Schwerin 33  
000 184 241





hanc ultimam classem numero meum QVISTORPIUM, cuius  
mors & vita fuit decora; Elucescet idem ex vitæ curriculo  
fufius exhibendo enarrandoque.

atus itaque est Beatus DN. HUGO THEODORUS QVI-  
STORPIUS heic Rostochii Anno MDCCII, die 27 Mensis Aprilis, PA-  
trone quondam Summe Reverendo, Excellentissimo atque Amplissimo,  
HANNE NICOLAO QVISTORPIO, S. S. Theol. Doctore  
Publ. Ord. Celebratissimo, Superintendente Rostochien-  
simo, & ad D. Nicolai Pastore religiosissimo; quem Virum  
venerabilem omnes boni appellant desideratissimum;  
matrem vero Prenobilissima atque sui sexus virtutibus condecoratissima  
ANNA CHRISTINA LENTHEN, quæ jacturam hujus  
fata, acerbè deplorat, cuique solatium pium de-  
precamur. Paternos Majores posteriores indicant annales A-  
vum; AVUS enim fuit B. JOHANNES QVISTORPIUS, in The-  
ologiae Facultate Professor consummatissimus & in Ecclesia Rostochi-  
ensis pater vigilantissimus, qui Conjugem habuit ex-  
cellentissimam AM SCHARFFENBERGIAM; Proavum demon-  
stravit HANNES QVISTORPIUM, itidem Theologum  
facundissimum, & Antistitem Marianum facundissimum, qui  
BARBARAM DOMANNIAM ex familia illu-

strata non minus celebre est, AVUM enim vene-  
randum Hugoniani nominis autorem, Virum quondam  
B. DN. HUGONEM LENTHEN, S. R. Maje-  
statis & supremum per Holsatiam Regium Secre-  
tario confors erat Splendidissima ex familia nata  
LADTEN; PROAVUS erat Vir quondam in-  
geniosus ARDUS LENTHE, Jctus famigeratissimus &  
Comitatu Osnabrugensi spectatissimus, qui costam  
suam ex illustri domo de BIBRAN. En stemmata  
nobis provenit noster haud degener surculus QVI-  
STORPIUS, autem non degeneraret, a primis unguiculis ita  
eruditus & educatus in bonis literis atque artibus ut  
mirari, prouti & testantur argumenta a posteriori  
viri - Juvenis non sine tali providentia talis evaserit.  
Revererunt etiam modi instruendi hunc omnibus  
parentibus instructum Juvenem; Utebantur igitur Paren-  
tibus clarioribus & postea Magistris celeberrimis, in-  
ter quos laudare solebat DN. HAVERUM, Guestphalum,  
superioris doctrinæ interpretem facundissimum, &  
JOACHIMUM, Dantiscanum, philosophum acutissimum.  
Anno MDCCXXIV. ingeniosam defendit disser-  
tationem. Hi vero ultimi ejusdem erant Præceptores,  
Anno MDCCXX. Rectore Viro Excell. DN. JOACHIMO  
DANTISCIANO, tunc Instit. Prof. celeberrimo, jam vero  
B. S. R.

